



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Religiosa vocatio commendatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

verba faciebat ad populum. Quippe, qua erat celeritate ingenij, & caritate salutis alienæ, Italicam linguam breui tempore ita perceperat, nō solum ut commode, sed ut eloquenter posset ad concionem differere. Et quoniam semper habuit in more absentibus quoque prodesse per literas, quæ omnes à iuuene licet conditæ, sanctam quandam

*Quales eiu-
epistole essent
etiam Iuu-
nis.*

Patrum prisorum antiquitatem, & grauitatem spirabant, ad socios aliquot, qui Colonia recens in Vrbem venerant, multa religiosissimè, atque hæc inter cetera scripsit, beneficium in primis commendans, quod eis in Romanam domum vendendi potestas fuisset. Quid enim est? inquit, quid valet obsecro, veros, & exercitatos in Christo Patres nancisci, à quorum sententia tutissime totus pendeas, malique nihil omnino expectes, sed ea solum, si velis, quotidie accipias, quæ nullis mundi præfidiis, & ne maximo quidem literarum studio, tibi aliquando pares? In hac Schola diues ab-
unde paupertas discitur: libera verè obedientia percipitur; gloria præcipue humilitas, & nobilissimus Iesu crucifixi amor solide comparantur. Ego vero, cum pulcherrimam illam philosophādi rationem, quæ istic nemini deest, occasionem

*Religiosa vo-
catio com-
mendatur.*

que

que animo mecum reproto, quid Romæ habuerim, quid reliquerim video. Sed damnate segnem hunc animum ipsa mihi conscientia, doleo certe parum temporis, minus verò curæ, & studij rebus illis præclarissimis à me datum esse. Quod fortasse cum non sine summo dedecore dicatur, præteriri à me nunc poterat, nisi meo exemplo vestris etiam commodis prospectum iri desiderarem. Quare non in vacuum quæso gratiam hanc Dei amplissimam accipite, sed præsente bonitatis diuinæ munere sic vtendum censete, ut sitis & ipsi vobis omni ex parte superiores, & in dies singulos conformiores Christo. Non quod meis exhortationibus ad pietatis vestræ cursum opus sit, quin potius stimulis vestris tarditas mea locum, adiutumque præbet; sed pro mea apud vos libertate solita id dixerim Fratres. Benedictus interim Pater ille misericordiarum, qui terram veluti promissionis alteram vobis exhibitus, Pharaonem submersit cum suis Ægyptiacis curribus: atque in plenam vt libertatem vos assereret sibi, per calcatas mundi illecebras huc denique: vinculis expeditos omnibus prouexit. Agite verò fratres mei (hoc enim nomine si ante hac vñquam, nunc mihi

mihi maximè vtendum puto) fidentibus quæso
animis aggrediamur ea subire omnia, quæ sanctæ
obedientiæ iugum adfert. Sed leue illud, non mi-
nus, ac suaue iugum, si vel paulum animos assue-
fecerimus. De me quod peculiariter scribam ope-
ræ pretium nō est. Rationem suscepit in Siciliam
itineris haud dubiè cognouisti. Qui spirituali-
bus istic rebus operam dare amplius eram indi-
gnus, ad studia, sed certè insipida reuocatus sum:
nisi quod sapidum esse dicimus quicquid suum
ab obedientia condimentum capit. Rhetoricam
profiteri iussus (à qua tamen facultate alienus
sum) in instituendis bonis adolescentibus operam
meam colloco: facturus etiam spero, duce Chri-
sto, aliud quiduis, quod vel obedientia præscri-
beret, vel mea imbecillitas ferret. Mirum quan-
tus hoc loco fructus per nostros Christo sit colle-
ctus, & breui quidem tempore: maior a his acces-
sura speramus. Qua in re vestras etiam nobis pre-
ces impertiatis. Tales aliæ ad alios amicorum, aut
domesticorum literæ Canisij erant. Nihil habe-
bant leue, nullas officiorum vulgarium nugas:
feria omnia, grauia, pietatem, ædificatiæ, linguam
denique religiosam, ac sanctam.

G

Inter